

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Geminarum vtrinque porticum, & valuarum trium ad orientalem plagam  
spectantium descriptio. Cap. XXXVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

*Amplissimi sub dio regionis & porticuum descriptio.*

CAP. XXXIII.

**D**Ein de ad amplissimum templi locum libero cœlo patentem exornandum se contulit: cui & solum lapide eximio constratum, & porticus longis ambulationum spatiis ex tribus lateribus circundati, permultū decoris attulerunt.

*Ecclesiæ augustissimi parietum opificii, elegantiæ, & inaurationis, descriptio.* CAP. XXXV.

**A**duerso autem lateri antri, quod solem orientem spectabat, regale & augustum sanctorium adiunctū fuit: opus planè eximium, ad infinitam altitudinem erectum, longitudine & latitudine immensa patens. Cuius edificii partes interiores, marmoris, versicoloris materia incrustatae: exterior autem parietum superficies politis lapidibus, qui commissuris quibusdam inter singulos interiectis colligabantur, exornata, singularē quandam pulchritudinis speciem, eamque non minus ad asperum illustrē, quam si marmore obducta fuisset, præbuit. Quod autem ad ipsa testa in sublimi posita attinet, exteriores eorum partes plumbea obtexit materia, quæ tanquam firmum munimentum, tempestuosos imbres depelleret. Interiores vero celatis laquearibus affabré inter se compactæ, & tanquam quoddam vastum pelagus, per uniuersum sanctuarium, coagmentationibus quibusdam inter se continenter coharentibus, diffusæ dilatataeque, & fulgente auro passim cooperatae, totum templum, velut lucis claritate mirè illuminarunt.

*Geminarum virinque porticum, & valuarum trium ad orientalem plagam spectantium descriptio.*

CAP. XXXVI.

**D**vibus porticibus, partim subterraneis, partim supra terram eminentibus Xysti gemini ex utroq; latere adiecti, ad longitudinem sanctuarii porrigebantur: quorum testudines erant auro insigniter, & vario artificio illustratae. Ex quibus, alter à fronte inferioris templi columnis ingentibus suffulciebatur: alter intro spectans,

Mm 5 substra-

## EVSEBII DE VITA

substratis postibus, magno extrinsecus ornatu decoratis, ergebatur. Tres portæ ad orientem solem aptè & eleganter dispositæ, multitudini ingredientiū patuerunt.

*Hemispherii columnarum duodecim & craterum  
descriptio. CAP. XXXVII.*

**I**stis ex aduerso erat fornix dimidiati vniuersi cœli ciri culi speciem adumbrans, in summo sanctuario in orbem ductus: quem duodecim columnæ seruatoris apostolis numero pares, tanquam coronam cingebant, crateribus ex argento confectis circa fastigia cōcine expolitæ: quas imperator Deo illic pro monumento pulcherrimo dicauit.

*Portarum atriensium exedrarum & vestibulorum descriptio.*

*CAP. XXXVIII.*

**I**nde ad introitus pro templo locatos accendentibus area patuit. Erant inibi utrinque, primo atrium, deinde porticus, ad extremum atrienses portæ: post quas in ipsa media platea à foro eo deducente totius edificii vestibula perpolite constructa, iter illac facientibus admirabile visu spectaculum, quod rerum intus fabricatarum pulchitudinem quodammodo monstrabat, exhibuerunt.

*De multititudine donariorum.*

*CAP. XXXIX.*

**I**stud vero templum, quo tanquam testimonio salutis domini resurrectio illustris & nota siebat, extruxit imperator: & quo totū illud magnifico & regali ornatu decoraret, insignibus, quæ oratione explicari nequeunt, & monumentis auri, argenti, & lapidum pretiosorum materie distinctis, & quasi depictis, quæ erant numero sc̄re infinita, adornauit. Quorum apparatum, tum magnitudine, tum multitudine, tum varietate, denique adeo artificiose elaboratum, sigillatim iam oratione persequendi otium non datur.

*De ecclesiarum erectione Bethlehem & in monte olivari.*

*CAP. XL.*

**E**odem tempore, cum alia duo loca, quibus duo abdita & quasi mystica antra multum honoris & dignitatis